

DE
**FEBRIVM
SALVBRITATE
IN MORBIS CHRONICIS**

EX AVCTORITATE
**ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA**

GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQUENDO
AD DIEM VI MAII MDCCCLXXII.

PVBLINE DISPVTABIT

LEONARDVS LVDOVICVS FINKE
CAPPELLIS - TECKLENBURGENSIS.

HALAE AD SALAM
STANNO HENDELIANO.

ALVABRIATI
IN MORBIS CHRONICIS

HIPPOTRATES Libr. VI. Epid. Sect. V.

Νέταν φύσις ἕπεσθαι:

i. e.


Naturae morborum sunt medicatrices.

I DEM Libr. I. de virtus ratione.

Ἔπειρη τὸ λυπέον ἀπολλάσσει, πολὺ ωφὲ πονέει αφαιρέοντος,
ὑγίεια ποιεῖ, ηγέτης αὐτομάχη τούτη σπισάται.

i. e.

Ars medica ab eo, quod molestum est, liberat, et id, ex quo quis
aegrotat, auferendo, sanitatem reddit. Idem et natura per se
facere nouit.



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
FEBRIVM
SALVBRITATE IN MORBIS CHRONICIS.

P R O L V S I O.

Quod si ad omnem, quam late patet, naturam animo respexeris intento: non potest fieri, quin vbiunque in illa detegas phaenomena, quorum multa in eius destructionem tendunt; multa vero, quamvis contrarium saepe ominemur, ita sunt comparata, ut imminens, vel iam praesens quoddam malum, mox radicitus tollere, mox imminuere possint. In rebus physicis versatis nil dixero noui, affirmans eiusmodi naturae salutaria conamina quolibet euenire die, quin singulis horis. Eadem res sese habet ratione in C. H.

A

Sunt

Sunt quidem multa, et omnem numerum excedentia, quae in eius destructionem tendunt; sed dantur quoque e contraria parte multi motus in corpore animali viuo, qui causis laudentibus oppositi sunt, dantur, qui eas iam praesentes tollunt. Nec sane vila alia ratione modus compositionis machinae nostrae organicae conservari potuit, nisi vires possideret, quibus omne id, quod ad illius compositionem destruendam tendit, omni superare conaretur modo. Vide runt hoc iam antea celebria medicorum lumina, inter quae SYDENHAMIVM excitare tantum lubet, vtpote qui morbum et naturae conamen materiae morbificae exterminationem in aegri salutem omni moliens ope pro eadem censuit re. (Vid. eius obseruatt. med. circa morbor. acutor. historiam.) Sed quoties conamen istud naturae haud sufficere, ad causam istam, vt cum SYDENHAMIO loquar, morbificam superandam, tristi docemur experientia! Interea tamen sedulo naturae indagatori latere nequit, dari etiam morbos, qui dictam causam morbificam expellunt. Mirum hoc sane est naturae artificium; quodque CELSVS Libr. II. c. 8. ita indicauit: *Illud, inquit, iure aliquis mirabitur, quomodo quaedam simul affligant nostra corpora, et parte aliqua tuerantur.* Lipothymia, vt per exempla rem illustrem, quoties non haemorrhagiae efferae proficia fuit? Eadem haemorrhagia, criticam pura, quot morbis non tulit auxilium? Cruditates ventriculi et primarum viarum, quoties superueniente vomitur, vel diarrhoea non sunt leuatae? Quid? quod nubes

nubes est morborum, quorum hic mentionem facere possem, nisi a scopo aberasse videar. Quae cum ita sint comparata, quis est qui adeo caecus esse possit, ut ex his omnibus summam haud videat creatoris sapientiam, qui usque adeo machinam nostram artificiosissime composuit, ut et ex morbis, dura illa mortalium machinamenta cruciatus! ratio pro existentia Dei possit desumti. Apparet inde ex parte rationis, cur mihi hocce praecipue elegerim dissertationis argumentum. Sed et in utilitate, quae scientia salubritatis febrium medico pratico largitur, alteram et praecipuam rationis partem volo habere positam. Optime autem ex mea sententia tota haec tractatio, in duas partes distribui poterit: in cuius parte priore, possibilitas salubritatis febrium in morbis chronicis, praemissis notionibus quibusdam generalioribus, a priori, vti dicunt, demonstrabitur; in altera vero eiusdem libelli parte idem per obseruationes confirmabitur, docebaturque in quibus praesertim morbis chronicis, febres proficuae fuerint. Consentientes in hac re mecum habeo medicos. CELS. Lib. I. cap. 8. ita: *Denique ipsa febris, quod maxime virum videri potest, saepe praefidio est.* BOERH. Aph. 89. *Febris, inquit saepe medicamenti virtutem exercet ratione aliorum morborum.* HUXHAM. in oper. phys. med. Tom. II. p. 36. *Quodlibet febrium genus dicit naturam est conamen, quo se ipsa quacunque a re, quae ipsi molestia est, liberare amittitur.* In Elementis Pathologiae ill. NIETZKI, quem praceptorum fauoremque pie veneror,

ror, saepius de hac refit mentio. HIPPOCRATIS et qui illum magna ex parte sequutus est ARETAEI CAP-PADOCIS verbis hoc quoque posse corroborari ex infra dicendis apparebit. Sufficient haec de instituti ratione differentiationis meae, quam L. B. aequi bonique consulat.

PARS PRIOR.

§. I.

Morbus salutaris dicitur morbus, cuius solutio est remedium alterius morbi simul existentis, hac tamen lege, ne status posterior sit periculosior priore.

§. II.

Febris est spasmodus periphericus, cum pulsu, qui illum sequitur, celeri atque frequenti.

§. III.

Morbus chronicus est qui per aliquod tempus notabile corpus affligere potest, neque statim stipatus est periculo vitae eminenti. Opponitur ergo *morro acuto*.

§. IV.

Ex §§. I-III. apparet, quid febris salutaris sit, quidque per eandem in morbis chronicis intelligi debeat. Quarum rerum ultiori demonstratione facile supersedere me posse arbitror. Nolui enim theoriam horum morborum exstruere, cum lemmatis loco minni tantum inferuant. Qui vero plura de hac re scire cupit, adeat ill. NIETZKI *Elementa Pathologiae*.

§. V.

§. V.

Per receptiuitatem subiecti eam medici intelligunt corporis conditionem internam, per quam tali istud cum causis agentibus pollet relatione, ut ab his facile possit mutari. Est ergo receptiuitas concausa, uti medici loquuntur, effectus pleni. Pertinent huc praeципue: aetas, nimia subiecti sensibilitas, temperamentum, morbi praegressi et simultanei.

§. VI.

In quocunque morbo mox maiorem, mox minorem diffusum functionum adesse, docet Pathologia. Quam ob causam gradus morborum erunt possibles.

§. VII.

Quemlibet de febribus in morbis chronicis salubritate agerem ad duo respicere oportet momenta. Imo nam adlit receptiuitas subiecti. Hidem num febris sit determinati gradus. Quod ad primum attinet, facile ex §. V. apparet, sine hocce requisito febrem salutarem existere non posse. Nam febris, quae effectum quandam in C. H. salutarem producere deberet, est pars causae tantum. Causam hinc quandam praedispontentem, uti medicis visus est loquendi, supponit. Ex infra dicendis res clarior evaderet. Quod de determinato febris gradu dixi, quemlibet mihi citra ulteriore demonstrationem esse largiturum, puto. Nam minor febris gradus, quam requiritur ad solutionem morbi soluendi, sine fructu est; cum maior e contrario febris gradus morbi statum reddat priori peiorem.

A 3

§. VIII.

§. VIII.

Effectus febris, quantum ad nostrum scopum faciunt, enumerandi nunc veniant; postpositis omnibus phaenomenis, quae, quamvis in scholis medicorum pertractentur, huc non pertinent. Praeter pulsū, qui est morus diastolicus arteriae, celerem atque frequentem, in omni febris stadio præsentem; saepe etiam in febre adesse pulsū fortē, docet Pathologia. Sed cum ex pulsū, tanquam effectu a fluido in vasis contento, ipsiusque vasis determinato, fluidi motus, nec non qualitates possint euinci: prono exinde fluit aliœo, motum sanguinis in febre esse celeriorem, et quandoque fortiorē.

Cum omnis effectus salutaris a febre in morbis chronicis possibilis ab his modo dictis, nempe a sanguinis circulo celeriori atque fortiori, dependeat: operae pretium esse duco, nunc perquirere, qua ratione id eueniat, vndeque tam differentes a febre effectus. Quod iam ex §§. sequentibus constabit.

§. IX.

Fluida attenuantur vel inciduntur, quando singulæ liquidi moleculæ in minutiores reducuntur. Remedia quae hoc præstant, *resoluentium* nomine venire solent. *Correctio* vero humorum tum obtinet, quando illorum mixtio, quoad miscibilia inueritur.

§. X.

Febris determinati gradus fluida attenuare, resoluere, nec non corrigere potest.

Quod

IN MORBIS CHRONICIS. P. I.

7

Quod ad primum: hic effectus apparet, cognitis diuersis causis spissitudinem perducere valentibus. Inter has causas vero obtinet quoque minor fluidorum circulus, quam par est, seu eorum lento. Nonne in hocce casu, motu sanguinis accelerato, sed non supra modum, nam nimius sanguinis motus, quod in transitu sit dictum, fluida magis inspissat, spissitudo debet tolli? Determinatur hic lento a variis causis. Mox dependet a debilitate, mox a rigiditate partium solidarum, mox denique ab abuso eorum, quae massae humorum coagulum inducunt, quorsum exempli loco pertinent spirituosa. Quem lentorem in causam efficientem sufficientem multorum aliorum morborum degenerare posse, docet Pathologia. Quantus ergo istorum esse debet morborum numerus, quibus febris, remouendo causas, salutaris existere possit?

Stases et obstructiones, non admodum inueteratae, febre tanquam instrumento naturae, aduersus hunc morbum idoneo, vario tolli possunt modo. Fit autem hoc primo per admixtionem fluidi tenuioris ad partes obstructas; dein per auictum calorem in febre obtinentem, vti totum corpus, ita et lumina vasorum, distendentem, sicque particulis obstractis viam pandentem; denique per auctiorem contractionem vasorum; et tandem vi mechnica per pressionem fluidi a tergo venientis in moleculas moram necentes.

Quod denique ad correctionem fluidorum attinet: eam huc non pertinere, arguere quis posset; interim tamen huius loci est. Nam cum haec per ablationem partium quarundam miscibilium

absol-

absoluatur, in febre autem, teste experientia, multa e corpore eliminantur: apparet ergo, hanc adesse posse; id quod in productis a febre exanthematibus chronicis videre est. Cum attenuantia, resoluentia et corrigentia classem alterantium subeant: in aprico ergo est, febrem fluida posse alterare, atque ita praeparare, ut ad euacuationem, quae et actu subsequi solet, apta sint. Quis ergo non videt, febri etiam vim competere euacuandi. Quanti usus febris, propter praemissam praeparationem atque subsequenter euacuationem, sit, quilibet, cui istud **HIPPOCRATIS:** nibil euacuetur, nisi coctum, notum est, facili intelliget negotio. Optimi hac in re mecum consentiunt medici. **PLATNERVS** in arte med. p. 37. nulla, inquit, efficacior resolutio est, quam quae motu febrili praefatur. ill. **NIETZKI** in *Elem. Pathol.* §. 1368. ita: *Quare in corporibus febrentibus, loquitur nempe de febris determinato gradu, stases et obstrunctiones resoluti poterunt.*

§. XL.

Irritans est omne id, quod solida stimulando ad maiorem contractionem impellit. Inter causas primarias hic pertinent maior caloris gradus, et frequentior contra parietes vasorum fluidi impulsus. Quae cum in febre adiut, ut et irritatio quaedam, et omnia inde dependentia non deficiant, necesse erit. Conducere vero stimulum in variis morbis, accurata, ut unum tantum adducam exemplum, cum electricitate in C. H. instituta docent experimenta. Apparet inde ratio, cur febris in morbis a languore oriundis, quorū paralyſin referto, tanti sit usus.

§. XII.

§. XII.

Omnis ergo effectus salutaris, qui a febris determinato gradu exspectari potest, dependet vel ab alteratione, vel ab evacuatione fluidorum, quae coniuncta esse solet cum aequali distributione humorum (§. X.), vel denique a stimulo (§. XI.).

§. XIII.

Quod si quis ad causas morborum chronicorum animum suum dirigit, non potest fieri, quin deprehendat, unam alteram, vel plures simul in §§. X. et XI. enarratarum indicationum, liceat mihi ob similitudinem ita dicere, ferme semper iuuenire locum. Quam ob causam ad credendum quis posset induci, febrem in omni morbo chronicō esse salutarem. Absurditatem vero quis non videt? Pauci enim, teste experientia, tantum sunt morbi, in quibus febris salutaris existere solet. Quin etiam huic errori iam obuiam iui in §. VII. Non abs re autem esse puto, frequentissimi facere mentionem impedimenti, quod ferme semper in causa est, quo minus effectus salutaris, de quo loquor, ad finem producatur. Clarius res fieri ex §. sequ.

§. XIV.

Quando propter determinationem quandam corporis internam morbus soluendus ita est comparatus, ut non aliter possit solui, quam sub simultanea productione alias morbi maioris: tunc solutio ista salutaris esse nequit, (per def. morb. salut.). Notatu dignissimum hocce impedimentum in solutionibus morborum admodum frequens est. Multae dantur febres, quae per se spectatae, quia rite procedunt, et in relatione ad morbum quandam chro-

B

nicum

nicum, omnino viles possent videri: attamen ob alias malam corporis constitutionem, febris pessimi ominis fieri potest. Res multis exemplis posset corroborari. Pauca tantummodo in medium protulisse sufficiant. Illis e. c. quibus labes visceris cuiusdam nobilioris oboritur, quaecunque febris species summe periculosa esse solet; vt pote quae in lentam et hecticam degenerat quam saepissime. Qui dein, preter infarctum, vel scirrum hepatis, vel lienis, febri alias cedentes, mala insimul laborant digestione, febre correpti, vix vel ne vix quidem hoc morbo erunt sanaturi; omni febris impetu ad primas vias directo. Spissitudinem humorum febris determinato gradu posse solui, vidimus supra. Pone autem coexistere cum hoc morbo simul plethoram: nonne tunc facilis ad febrem continentem esset transitus? Sed non semper requiritur, vt alius morbus simul sit praesens ad id, quod diximus, impediendum. Morbi praegressi idem praestare possunt. Nam ex mente HIPPOCRATIS ibi sedes morbi erit, quae pars antea laboravit. Ex his ergo, et multis aliis satis appetet: febrem, praefente tali corporis dispositione, salutarem esse non posse, semperque in diiudicanda salubritate ad id respiciendum esse.

§. XV.

Tractationis ordo postulat, vt nunc febres breuiter percurramus, videamusque, quaenam per suam essentiam atque naturam salutares esse possint, quaeque minus.

Tria autem dantur, docente id Pathologia, febrium summa genera, quae sub nominibus continentium, continuorum atque

in-

IN MORBIS CHRONICIS. P. I.

intermittentium nota sunt. Ex sequentibus elucescer, sub quolibet harum febrium genere vnam saltem alteramue comprehendendi speciem, huc pertinentem.

§. XVI.

Agendum est primo de continente, seu de illa febre, quae plethoram, eamque commotam, pro causa agnoscit materiali. Inuidit haec febris vel corpora iuuenilia, vel quae magis in aetate prouectiori sunt; sibique relicta, periculo non carer, ob sumnum, quo stipatur, sanguinis orgasmum, praeter caeteros morbos, inflammationis metum facile inducentem. Raro ergo adsunt casus, in quibus haec febris salutaris existiterit. Quod si vero animum tuum notabilis illa subit differentia, quae intercedit subiecta, ad hunc morbum proclivit: facile apparet, in subiectis laxo corporis habitu instructis, vi id in infantibus atque pueris vsu venit, pléthoram per productionem excretionis sudoris, solui posse; id quod in *Epbemera simplici* nonnunquam contingere videmus. In aetate autem prouectiori, ob cutis maiorem densitatem, hanc salutarem febris solutionem vix deprehendimus; sed per haemorrhagiam identidem solvi, experientia docuit.

§. XVII.

In §. antec. continentur simul principia, quibus medicus ut debet in formanda prognosi febris continentis. Quo maior enim in corpore obtinet rigiditatis gradus, qui impedimento est, quo minus excretio sudoris suboriatur: eo minor spes affulget, fore, ut febris euentum salutarem, ratione alias morbi, nanciscatur. Quod si vero subiectum hoc morbo correptum origini suae pro-

pius est, nec desunt requisita supra enicta: tunc non sine ratione euentum salutarem sperare possumus.

§. XVIII.

Transeamus ad febres continuas. Differentia, quae inter has febres intercedit, insignis est. Sunt enim hae vel acutae, vel chronicæ; vel benignæ, vel malignæ. Acutæ mox sunt benignæ, mox malignæ. Videamus, quid de illis in relatione ad salubritatem sit sentendum, ab inflammatoriis exorsuri. Pertinet enim haec febris ad acutam, cum inflammatione connexam. Quadruplici, ut inter omnes constat, inflammatio soluitur, modo. Optima ea est, quae per discussionem fit. Suboriri autem ista saepissime nequit, ob sanguinis in vasis contenti lentorem vasorumque debilitatem. Nunc vero in antecedentibus iam vidimus, quantæ in hac re febris sit efficacitas. Naturaliter ergo febris inflammatoria potest solui; qua vero saluta modo, quem antea diximus, et alii morbi simul possunt finiri. Sic ex observatione BARTHOLINI in *Actis Haffnienijs*. pleuritidis ea erat efficacitas, ut febrem quartanam aliquot mensium, cui superueniebat, salutariter solueret. Quid? quod nonne febris, quae vulneribus superuenit, et nomine vulnerariae salutatur, rite tantum procedens, suppurationem summe necessariam, promouet? Et quid dicam de inflammationibus cum febricula connexis, quae partibus externis suboriuntur? Magni ista in nonnullis casibus est usus. Videre hoc est in morbis, vbi stimulus est excitandus, ut in melancholia. Secutus est hanc methodum *ILL. MVZELIUS* in curanda melancholia admodum pertinaci. Applicauit nempe vesicatoria satis

am-

amplae extensionis ad scapulas, ut inflammationem et febrem producerent. Vid. eius medicinische und chirurgische Wahrnehm.
II. Sammlung.

Neque febres malignae utilitate destituuntur, precipue id genus malignarum hic pertinet, quod cum exanthematibus est conexum. Purificat enim corpus a multis quisquiliis, quae vix alia ratione, quam febre, e corpore proscribuntur. Purpura hinc subegit tertianam. vid. *Prim. Phys. med. pol.* Viriolae idem praestant. Quid? quod nullum aliud, quammodo dictum principium, illi sunt secuti, qui et aliorum, quam variolarum, exanthematum inferendorum autores suasoresque fuerunt. Febris catarrhalis benigna, nam haec quoque ad febres acutas pertinet, ipsum, a quo nomen accepit, saepe soluit morbum. Possibilitas huius solutionis apparet ex notione catarrhi, qui vel in restagnatione, vel coacervatione seri in loco quodam corporis consistit. Resolui autem id, quod stagnabat, et e corpore eliminari febre posse, supra euictum dedimus. Res vero non ita cum febre biliosa est. Solui enim haec febris plerumque solet, non adhibitis medicamentis, per inflammationem, vel per ieterum. De febre *lenta* atque *heatica* talem sententiam. Omnis solutio, quae hic suboritur, corpori detrimento esse solet. Lympha enim nutritia, corpus hac febre correptum, priuatur. Est hoc autem, utri notum est, per excretiones colliquatiuas.

Schol. A febre catarrhalii quidam medicorum febrem ita dictam rheumaticam discernere solent. Sed hoc perperam fit.

§. XIX.

Quod ad diagnosin atque prognosin febrium continuarum pertinet: eae statim apparebunt, quamprimum ex pathologicis vera cuiusuis febris species, eiusque symptomata cum morbo soluendo nota sunt. In memoriam quoque hic reuocari debent ea, quae supra de requisitis cuiusuis febris salutaris protulimus.

§. XX.

Supereft adhuc ultimum febrium genus, quod nomine febrium intermittentium salutatur. Si ad pluralitatem casuum resperxeris: hoc febrium genus praecedentia, ut obſeruationes reftantur, salubritate ſuperar; praecipue quartana hac pollet vi. Ratio in eo absque dubio latet, quia hae febres haud adeo vehementibus ſtipatae eſſe ſolent symptomatibus. Praecipius autem febrium intermittentium uſus conſiftit in resoluendis obſtructionibus, corpusque ab impuritatibus liberandis. Confirmat quoque hoc BOERH. apb. 754. *Caeterum, inquit, hae febres, niſi malignae, (qualem malignitatem vero intelligat explicat §. antec.) corpus ad longaeuitatem diſponunt, et depurant ab inueteratis morbis.* Conferatur v. SWIETEN in Comment. ad Aph. Boerh. Tom. II. pag. 525. Idem ferme affirmat PLATNERVS in *Arte med.* pag. 37. Haec de febribus intermittentibus in genere. In ſpecie vero febres intermittentes vernales magnopere, dummodo rite ſuccedunt, a medicis extolluntur. HVXHAMIVS in *Oper. phys. med.* Tom. II. pag. 32. de hiis febribus talem fouet ſententiam: *Febres intermittentēs vernalēs ordinariae interdum valde ſalutarem praefant effectum, dum ſanguinis lento rem, eiusque morbidam*

in-

infringunt coactionem, ut atmosphaeram crassam purificat procella. De febre quartana autem **HIPPOCRATES** Libr. VI. Epidem. Sect. VI. ita. *Quartana laborantes nullo magno morbo corripiuntur, si autem corripiantur, et quartana superueniat, liberantur.* Dein Sect. V. Aph. 70. ferme idem: *Qui quartana corripiuntur, non admodum conuulsionibus tentantur. Si vero prius tentati fuerint, superueniente quartana, liberantur.*

§. XXI.

Silentio neutquam praeterire possum commotiones ita dictas febriles, per quas medici, febrem momentaneae quasi durationis, quaeque per existentiam vnius atque alterius ad febrem perimentis, conspicua sit, intelligere solent. Summum harum commotionum febrilium in morbis esse posse vsum, sedula docuit experientia. Agunt vero hae commotiones, ut febris quaecunque alia, praecipue resoluendo. Quod ad salubritatem febrium complicatarum attinet, de ea hic nil dicam. Cognoscitur enim ea, rite perspecta quavis febre, ad complicationem pertinente. Legi interim merentur, quae hac de re ill. NIEZKI in *Dissertatione sua inaugurali, de Febribus complicatis* §. 71. expoluit.

§. XXII.

Sufficient haec de notione febris salutaris; de cautelis circa applicationem huius notionis ad casum datum, summe necessariis, ne quis a febre plus exspectet, quam illa praestare potest; deque disquisitione febrium per genera atque species consideratarum,

Su-

Supereft adhuc, vt nunc de iis praecipue morbis chronicis agatur, in quibus fidelissimae obſeruationes febrium euicerunt vſum.
Quod iam in altera huius tractationis parte, piaefare conabimur.

PARS POSTERIOR.

§. XXIII.

In parte Dissertationis priori simplices febrium vires considerauimus. Vidimus enim, quid attenuatio, quid resolutio, euacuatio etc. valeant. Eodem ordine contemplandi nunc forent morbi chronicci. Videlicet, premittendi eſſent, qui per attenuationem ſoluuntur, iis qui reſolutione curantur, hique iterum anteponendi eſſent iis, quibus per euacuationem medemur. Sed hunc ordinem vix ex toto ſequi licet, quia docemur vbiq; nūc: *nunquam naturam agere vi simplici, sed ſemper compoſita.* Percurram nunc ſumma quaedam morborum genera.

§. XXIV.

Morbos, a nimia quantitate partium aquofarum ortos, per euacuantia, praemissa reſolutione, curari, docent Therapiae principia. Sed febri determinati gradus competunt hae vires (§. X.). Necesse ergo erit, vt his morbis, non obſtante determinatione §. XIV. ea quoque medicamenti loco ſit. Ad hanc morborum chronicorum claſſem referre mihi tantum lubet ſpecies quafdam hydropis, praecipue anasarcam, leucophlegmatiam; et fluorem album benignum. Pertinere hos morbos ad chronicos, quilibet, qui Pathologiae principia primis tantum guſtarit labris, mihi concedet. Interim quod ad hydropem attinet, tantopere abſum, vt hic

hic semper febrem pro morbo salutari vellem ventilare, ut eam potius hydropis speciem hic velim intelligi cuius HIPPOCRATES Libr. II. Praed. mentionem facit. Videlicet: *qui aqua inter extem detentus est, inquit, et seruari volet, cum robustis visceribus et contentis viribus esse conuenit, simulque suapte natura facile concoquere ac bene spirare.* Causa eiusmodi hydropis vel in constrictione, vel obstruzione vasorum lymphaticorum, e celuloſa lympham resorbentium, (confer. ill. MECKELII, praecptoris summe colendi, noua experimenta etc.), vel in ipso lymphae lentore, latere potest. Quanti hanc ob cauſam febris vſus esse poſſit, quilibet iis, quae in parte priori Dissertationis, euici- cimus, rite imbutus, largiri nobis debet. Inter frequentissimas cauſas remoras hydropis militat febris in initio depulsa, maleque curata. Optime tunc huic casui ſuccurritur per productionem, alterius febris, niſi adſint contraindicantia. Contigit id mihi aestate praecedenti in muliere quadam viginis duo circiter annorum vi- dere, quae ob malam febrem tertianam curaram, anafarca cum aſcrite corripiebaruntur. Auxilium ex ill. BOEHMERO, praecopre ſumma pietate colendo, quique clinicis praefest, petebatur. Pro- pinatis medicamentis aptihydropicis, aegrotantis conditio, in melius ſe vertere, nolebat. Dato vero laxante phlegmagogo, reuersa eſt febris, ſed quartaria, ſimulque tumor hydropicus decrescere incipiebat. Continuabat haec febris per aliquot septimanias, et nil, praeter oedemata pedum, non ita magni gradus, remanebant, quaeque cum febre, per aliquot hebdomades adhuc durante, idoneis medicamentis propulſa ſunt.

C

Quid

Quid febris in fluore albo benigno valeat, identidem fuit obseruatum. Consistit hic in iusto maiori excretione muci in partibus genitalibus sexus sequioris. Quae excretio particularis tollitur, producta excretione vniuersali. In febre autem excretionem vniuersalem augeri, quis nescit? Autem ergo sudore, decrescere debet excretio muci in genitalibus. Exemplis quibusdam hanc rem illustrauit D. W A S M A N S D O R F F in Dissertatione sua inaugurali de *salubritate febris in fluore albo benigno*, hic Hal. 1764. ventilata, quam legisse haud poenitebit.

Similem, ac in fluore albo, effectum praestat febris, suborta in aliis quibusdam corporis locis coaceruatione muci atque secri, ut hoc in grauedine, coryza, phlegmatorrhagia videre est. Sed de his iam supra, ubi nobis de febre catarrhali sermo erat, satis dixisse putamus.

§. XXV.

In morbis spasmodicis nil magis, docente id experientia, conductit, quam rite procedentes excretiones naturales, praecipue sudor. Sed in febre has excretiones, cum aequali distributione humorum, adesse, satis constat. Quanti ergo usus in his morbis ea esse possit, per se patet. Sed ne hoc quidem loco theoria experientia destituitur. Obseruarunt hoc, omni tempore medici. HIPPOCRATES in *Conc. Sect. II. conuulsionem*, inquit, *soluta febris superueniens acuta*. Si vero fuit prius, iam exacerbata. Affirmat hoc idem in multis aliis locis e. g. *Apb. Sect. IV. no. 57. ita: Spasmo aut tetano vexato, febris si accesserit, morbum soluit. Libr. I. de Morbis ferme idem. Superfluum fore reor, hic adhuc*

adhus monere, quod haec cum grano, vti dicunt, salis sint su-
menda. Nam conditiones in omni febre salutari necessariae hic
quoque locum inueniunt.

§. XXVI.

In morbis paralyticis i. e. in morbis, in quibus vel defectus
motus, vel sensus, vel vtrumque obtinet, saepe febrem praesidio
esse, fidelissima docuit experientia. Aetio febris in hoc morbo
partim redit ad irritationem auctiorem, partim ad euacuationem
partium aquosarum, quae cum aequali distributione humorum
coniuncta esse debet. Vis electricae effectus quid est, praeter fe-
briculam, apposite in corpore productam? Et quanti ea in eiusmodi
morbis valeat, quem later? Multa sane exstant exempla, in quibus
paralysi auxilio fuit. *Confer. CRANTZI Mater. Med. Tom. I.*
pag. 107. Febrem idem prestare posse, persuasus sum.

Species paralyseos, hemiplegiam, paraplegiam, apoplexiam
esse docet Pathologia; qua in re consentientem quoque habemus
ARETAEV M CAPPADOC E M, qui *Libr. I. de Morb. diut. di-*
cit, apoplexia, paraplegia, paresis, paralysis, omnia genere ea-
dem sunt. Quidquid ergo de paralysi in genere diximus, de si-
gulis his speciebus quoque valebit. Quod ad apoplexiā fortē
attinet, eam hic non pertinere quilibet intelligit, dum morbos acu-
tos subire soleat. Trahitur tamen interdum per longum tempus
hic morbus, et tunc hic locum habet. Magnopere *HIPPOCRAT*
E S in hoc morbo laudat febrem: in *Coac. prae not.* enim dicit:
in *apoplecticis, si febris accedit, solutio contingit.* Interim ta-
men *Aph. Libr. II. Fortem apoplexiā*, ita pronunciat, *nulla fa-*

cultas potest soluere, debilem vero tollere non facile est. Libr. I.
Cap. VII. Nec sane mirum, quod in fortis apoplexia, licet mihi
hic in transitu haec dicere, febris facultas nulla sit. Solet enim
cum extraaeratione sanguinis vel sero in meningibus cerebri talis
apoplexia esse coniuncta.

§. XXVII.

Super est adhuc genus istud insigne morborum, quod per
obstructionem multorum vasorum, vel visceris cuiusdam absolu-
tur. Per magnus sane est horum morborum numerus, et per-
currere singulas species, augustia plagarum verat. Sequentium
narratio hic sufficit. Pertinet vero hoc malum hypochondria-
cum atque hystericum, scirrhī glandularum et viscerum, eorum-
que infarctus. In his morbis, qui obstructionem quandam pro
caussa agnoscent, saepissime febris determinatus gradus praesidio-
fuit; id quod exemplis a solutis per febrem infarctibus hepatis,
lienis, obstructionibus glandularum mesentericarum in infantibus,
confirmari potest. Annuit huic dicto *per ill. v. SWIETEN* in
Comm. ad Aph. BOERH. Tom. II. pag. 65. *Simulque,* inquit,
felicissima saepe resolutio pertinacissimarum obstruktionum febre
aboritur, modo nondum irresolubilis scirrhosa diathesis adfuerit.
Confirmat haec omnia *C E L S V S* Libr. II. Cap. 8. *Nam et praec-*
cordiorum, inquit, *dolores si sine inflammatione sunt, finit febris,*
et in iocinoris dolore succurrit, et nervorum distensionem rigo-
remque, si postea coepit, ex toto tollit. Quid? quod una febris
species saepe alteri praesidio est. Memorabile huius rei exemplum
expositum legimus in *P R I M I T. P H Y S. Med. Pol. Vol. I. vbi fe-*

bri

br̄i lenta febris quotidiana, quartana, purpurea medicinam attulit, et pertinaciam febris tertianae purpurea subegit.

§. XXVIII.

Quae hoc usque pertractauimus, sufficient ad possibilitatem et actu contingentem salubritatem febrium in morbis chronicis demonstrandam. Plura adhuc addere, quia speciminis loco haec tantum funto, non arridet. Hoc tantum monere debo, quod omnis de salubritate febrium in morbis chronicis iudicium ferens, probe principiis pathologicis debeat esse instrutus. Hic enim destituti ab erroribus, in hac re, cauere vix unquam nos poterimus.

Satis de re omni attentione digna dixisse putamus. Nam quam egregie medicum, sedulo hac de re cogitasse, deceat, paucis sed neruosis ita explicat perill. v. SWIETEN l.c. Ille ergo, inquit, aegris suis optime consulet Medicus, qui febrem, tanquam instrumentum naturae, considerat, qua morborum cauſae mutantur, subiguntur; et expelluntur de corpore; atque illam iusto medicamine dirigit, ita, ut nec torpeat nimis, nec furibundo corpus defruat.

T A N T U M.



SVM.

SUMMORVM IN MEDICINA HONORVM
C A N D I D A T O
 P R A E S T A N T I S S I M O
 s. d.
 D. ADAMVS NIETZKI.

Sic tu quoque, mi carissime FINKE, ad illorum iuenum, qui eruditio[n]is virtutisque gloria prae aliis eminere student, accedit numerum, eumque ita anges, ut hic nemini videaris esse secundus! Integrae profecto chartae mihi describendae forent, si es, quam nunc meritis **TU[us]IS** inscribo, epistola, plenam laudum **TUARVM** contineat enarrationem. Quod, quo minus a me perfici possit, me iam impediunt et spatii temporis angustia, et modestia **TUA**; quam, praeter alias virtutes, in te summam esse mihi deprehendere licuit. Non possum tamen, quin summatim a me indicentur laudum **TUARVM** argumenta. Si ingenii morumque perennis cultura; si indefessum allis inferiendi studium; si denique φιλανθρωπίας Hippocraticae ante strata aegrotantium continua exercitia, maximam medico laudem comparare possunt apud quoscunque aequos rerum aestimatorem: nullum dubium est, fore, ut hoc templum honoris **TIBI** quoque pateat. Quia igitur virtute macte iam esto! Ego vero, *doctissime FINKE*, vna cum reliquis praceptoribus **TU[us]IS**, de discipulo tam praeclarae indolis et laetor, et Reverendo Parenti **TVO** de filio optimae frugis ex animo gratulor! Gratulor **TIBI** quoque de Doctoris dignitate, ab illustri Medicorum ordine in Regia Fridericana meritis **TU[us]IS** decreta, atque in te propediem, me promotore, publice conferenda! Quod officii genus iam iam praestabo; quam primum specimen **TUVM** inaugurate, proprio Marte elaboratum, ex cathedra academica defenderi. Perage id more **TIBI** sollemini, adeoque gloriose! Restat: vt, de meo in te amore etiam atque etiam persuasus, me nunquam non amare pergas! Vale, resque **TUAS** age feliciter! Scr. in Acad. Frieder. III. Non. Maii A. O. R. c^{lo} ICC LXXII.

FRA.

ULB Halle
002 169 592

3



sb



DE

F E B R I V M
S A L V B R I T A T E
I N M O R B I S C H R O N I C I S

EX AVCTORITATE

I L L V S T R I S M E D I C O R V M O R D I N I S
I N R E G I A F R I D E R I C I A N A

P R O

G R A D V D O C T O R I S

R I T E C O N S E Q V E N D O

A D D I E M V I M A I I M D C C L X X I I .

H. L. Q. C.

P V B L I C E D I S P V T A B I T

L E O N A R D V S L V D O V I C V S F I N K E
C A P P E L L I S - T E C K L E N B U R G E N S I S .

H A L A E A D S A L A M

S T A N N O H E N D E L I A N O .